PROGRAMMA DELL'I. R. GINNASIO SUPERIORE DI TRENTO ALLA...

Ginnasio superiore di Trento



PROGRAMMA

DELL' I. R.

GINNASIO SUPERIORE

DI

TRENTO

ALLA FINE DELL' ANNO SCOLASTICO

1864.



TRENTO

PRESSO GIO. SEISER TIPOGRAFO-EDITORE.

1864.

692

DEMOSTHENES ET AESCHINES

QUOMODO PATRIAE DEBITA OFFICIA PRAESTITERINT

NARRAVIT

JOSEPHUS MASCHKA.

III.

Saepenumero fit, ut in vita magni alicuius viri meditanda in aliquod factum incidamus, quod cum ingenio moribusque eius pugnare videatur; sed cum paullo altius in rem intraverimus, caussasque illius facti accuratius cognoverimus, facere non possimus, quin illum virum etiam magis quam antea admiremur. Hoc cadere etiam in Demosthenem facile cognoveris, si eius orationem *de pace*, de qua diximus in proxima huius disputationis parte[1]), sine opinione praeiudicata pertractaveris. Nam eam habuisse ad populum oratorem illum, qui hactenus omnibus viribus Macedonicae factioni obstiterit, sane prima specie mirum videri possit; sed recte ponderantibus multas illas difficultates, in quibus Athenienses tum versabantur, fieri non potest, quin ipsa haec oratio novum quoddam maximae civilis prudentiae documentum in Demosthene appareat. Quid enim aliud tum vir ille rei publicae regendae scientissimus suaderet civibus suis, nisi ut eam pacem servarent, quam se invito[2]) ipsi sibi imposuerant, quaeque iam sine reipublicae damno

---

1) Progr. 1861/2, p. 76 seqq.

2) Cf. l. l. p. 63 seqq.

rescindi non poterat?[3]) Nam ut illi, qui numquam fere aut certe leviter consilio bonorum civium obtemperaverant; qui largitionibus Eubuli allecti turpe otium, quam bella, quae gloriosam maiorum memoriam renovarent, malebant;[4]) qui amissionem Amphipolis, Pidnae, Potidaeae, Methonae, occupationem Thraciae,[5]) exscensiones in Lemnum atque Imbrum insulas multasque alias iniurias Philippi lente tulerant;[6]) ut igitur illi parati fuerint ad bellum contra Macedonem renovandum, quid si, propter magnam illam potestatem, quam qui tum Amphictyones se ferebant[7]) ad Philippum detulerant,[8]) ex bello Macedonico bellum oriebatur Amphictyonicum? Atque hoc erat, quod maxime timebat Demosthenes quodque tum, cum habuit orationem de pace, putavit officium suum cives suos monere[9]).

Ceterum turpem illam pacem studiis Philocratis et Aeschinis compositam sibi minime probari cum antea in contionibus tum maxime postea ostendit, cum Aeschinem de legatione perfide gesta ad logistas accusavit subscribente Timarcho.[10]) Sed tum

3) Cf. *de pace* §. 13; 25 extr.
4) Cf. Progr. 1860/1, p. 25 seqq.
5) L. l. p. 5 seqq.
6) Cf. Progr. 1861/2 p. 4 seq.
7) *de pace* §. 14 τοὺς συνεληλυθότας τούτους καὶ φάσκοντας ἀμφικτύονας νῦν εἶναι. Cf. Progr. 1861/2 p. 71, adn. 3.
8) Cf. Progr. 1861/2, p. 72; 74.
9) *de pace* §§. 14; 19; 24 seq.
10) Tempus, quo id factum est, definiri nequit. Cum vero constet, actionem intra triginta dies post munus ab Aeschine depositum inferendam fuisse (Schöm. Gr. Alt. I, 410) et Aeschinem non ante alteram legationem ad Philippum susceptam vocatum esse ad rationem reddendam (Dem. *de f. leg.* §. 17: ἀλλ' ἐπειδὴ πάλιν ἥκομεν ἐκ τῆς πρεσβείας ταύτης τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους, ἥσπερ εἰσὶν αἱ νῦν εὔθυναι. Cf. §. 96 seq. Aesch. *de f. leg.* §. 23; 95 seq.; Arg. 2. in Dem. or. *de f. leg.* p. 338, 35 seqq. Bekk.), maxime probabilis videtur Schaeferi coniectura, qui (Dem. u. s. Z. II, p. 315) putat actionem illatam esse a Demosthene sub finem mensis scirophorionis, cuius mensis die decimo tertio (= Nonis Iuliis) altera illa legatio e Ma-

illi Athenienses qui, potius quam Philippum in Amphictyonum societatem lectum agnoscerent, non dubitavissent pacem nuperrime cum Philippo pactam violare, nisi Demosthenes eorum consilio obstitisset, ipsi ostenderunt, quantum etiam tum possent apud eos illi, qui Athenis Philippi negotia procurabant. Nam huius factionis potentia factum est non modo ut subscriptor Demosthenis Timarchus condemnaretur, sed etiam ut Aeschines tam manifesto crimine proditionis absolveretur.

Is enim, ut statim ab initio vim accusationis frangeret, actionem contrariam Timarcho intendit.[11]) Erat vir ille non sine auctoritate in republica multisque et quidem honorificis magistratibus functus;[12]) sed mores eius pessimi fuisse videntur. Atque hoc fuit, quod Aeschini ansam dedit ad eum accusandum. Cum enim lege sanctum esset, ne civis, qui turpiter vixisset, nomen accusatoris sustinere aut cum populo agere, aut ullum munus publicum suscipere posset,[13]) Aeschines statim arripuit optimam illam occasionem alterius adversariorum suorum removendi. Hoc autem ei contigisse non est quidem mirandum, quia Timarchus propter turpem vitam suam praeteritam in probi

---

cedonia redierat (Cf. Progr. 1861/2, p. 62). Caussa vero propter Aeschinis machinationes (Dem. *de f. leg.* §. 258; cf. 211) acta est aestate demum a. 343 a. C. V. Schaef. l. l. p. 358. Idem vir doctus plane demonstravit (l. l. p. 387 seqq., cf. III, 2, 66 seqq.) falsam esse opinionem eorum qui cum Plutarcho (v. Dem. 15, 3 Bekk.) dubitant Demosthenis et Aeschinis orationes de falsa legatione non vere habitas esse ad iudices.

11) Oratione illa, quae *in Timarchum* inscribitur.

12) Arg. 1. in Aesch. or. *in Tim.* §. 1; Dem. l. l. §. 286 *πόσον γὰρ ἐδημηγόρει χρόνον Τίμαρχος; πολύν.* Aesch. *in Tim.* §. 106 affirmat, Timarchum nullum quidem magistratum non adeptum esse, sed omnes fraude; quod credat Iudaeus Apella. Quo autem animo fuerit Timarchus in Philippum eiusque fautores apparet ex illa rogatione quam attulit Dem. l. l. Paullo enim post captam Olynthum (Schäf. l. l. p. 316 adn. 1) Timarchus rogationem pertulerat, qua capitis condemnabatur quicumque Philippum aut armis aut rebus navalibus adiuvisset. Ceterum conf. Schaef. l. l., qui p. 313 seqq. uberius de hac re disseruit.

13) Cf. praecipue Aesch. l. l. §. 19 seq.

cuiusque civis offensionem incurrerat, poteratque propterea a primo quoque accusari;[14]) sed quod non modo admirationem nobis sed etiam indignationem movere debet, hoc est, Aeschinem post minimum sedecim annos demum, quam Timarchus ad rem publicam accesserit,[15]) malo illius exemplo sollicitatum esse, praesertim cum in ipsius oratione in Timarchum nescio quid speciosae ac simulatae sanctitatis cernamus, qua ad hanc conclusionem deducimur, eum non fuisse severum illum morum magistrum, quem se haberi vult.[16])

Sed si ei facile fuit Timarchum demovere, non idem sperare poterat de Demosthene, qui primas accusationis partes susceperat. Quamquam negari non potest causam Demosthenis non leve detrimentum ex eo cepisse, quod propter Aeschinis eiusque consortium machinationes tertio demum, ut supra diximus, anno sit acta postquam ad logistas delata erat. Sic enim res, qua de agebatur, si non omnino excesserat memoria Atheniensium, at certe plerisque non tam in promtu erat, quam tribus annis ante.[17]) Adde potentiam et artes factionis Macedonicae, aurum Philippi, denique, quod plurimum valebat, patrocinium Eubuli, qui etiam tum magna erat auctoritate, aliorumque nobilium virorum,[18]) atque intelliges, quomodo fieri potuerit, ut Aeschines periculo liberaretur. Quamquam non longe

---

14) Cf. Aesch. l. l. 44 et all. — Hoc etiam Demosthenes, qui et ipse Timarcho adfuit in iudicio (cf. Aesch. §. 127; 166 seqq.), circuitione quadam concedit. Cf. *de f. leg.* §. 233; 251; 284 cum Aesch. l. l. §. 41, quos locos attulit Schaef. l. l. p. 316 adn. 2.

15) Aesch. l. l. 109 *οὗτος … βουλευτὴς ἐγένετο ἐπὶ ἄρχοντος Νικοφήμου*. Constat autem hunc Nicophemum archontem fuisse Ol. 104, 4=361. V. Schaef. l. l. 313; 318 eiusque Tab. chronol. III, 2, p. 327.

16) Satis sit afferre §. 37 seq.; 186 seq., cum quibus confer Dem. l. l. 285 seqq.

17) Dem. l. l. §. 3.

18) Aesch. *de f. leg.* §. 184; Dem. l. l. §. 290 seqq.; cf. §. 1.

abfuit quin causa caderet; nam solis triginta suffragiis absolutus est.[19])

Longum neque huius operis est accusationem Demosthenis et Aeschinis defensionem enarrare, praesertim cum iam in proxima huius disputationis parte diximus quantum satis esset ad fidem, qua in hac re uterque orator usus est, demonstrandam.[20])

Qua re iam revertamur ad ea facta, quae quamvis pertineant ad id temporis intervallum, quod est, inter Demosthenis orationes *de pace* (346) et *de falsa legatione* (343), tamen eo consilio antevertimus, ut de actionibus Aeschinis in Timarchum et Demosthenis in Aeschinem, quae propter suam cohaerentiam separari non possunt, continuo diceremus.

Athenienses enim brevi postquam Philippus in Amphictyonum societatem receptus erat etiam magis habuerunt, quod ab eo caverent. Non valde quidem eos affecerunt regis expeditiones contra Illyrios, Dardanos, Triballos eiusque nova Thessaliae constitutio;[21]) neque maiorem sollicitudinem iis attulisse viden-

---

19) Plut. v. Dem. 15, 3; Arg. in Aesch. or. de f. leg. p. 186 R. init. Cf. et. Schaef. l. l., qui p. 387 adn. 1 alios locos huc pertinentes attulit.

20) P. 30 seqq. Quibus lectis haud leviter miraberis etiam hodie esse, qui Aeschinis patrocinium suscipiant. *Cantù* enim in sua satis mediocri „Storia della letteratura greca" (Firenze 1863 p. 337) haec habet: „Ben sappiamo che il lettore ragionevole non vorrà credere che Eschine fosse veramente quel vile e traditore che Demostene ci dipinge. Fautore del partito, che oggi si vitupera col nome di moderato, pretendeva fosse necessario conservare i principj sui quali si fonda ciascun governo." Quae conferas cum his (p. 311) „Checchè declamasse Demostene esagerando per ira e per riuscire, non crederemo mai che Filippo volesse distruggere la nazionalità di Tessaglia e di Grecia; bensì aspira ad unire in sè il comando supremo di nazioni indipendenti."

21) Cf. Schaef. qui l. l. p. 324, ut in illo loco Dem. *de cor.* 44 a se allato temporum ordo servaretur, non male cum Dissenio (explic. or. de cor. p. 211) coniecisse videtur, Philippum his temporibus Triballos quoque adortum esse. Incerta videtur Westermanni sententia, qui in *comment. de v. Dem.* p. XXIV (ed. Bekk. 1854) et in prolegg. in Dem. or. sel. ab ipso editas 1860, p. XIX cum Dissenio et Schaefero

tur illius continui terra marique belli apparatus, qui ab eius fautoribus dici poterant facti ad expeditionem contra Persas, quam Philippus iam pridem in animo habebat;[22]) quid quod ne tum quidem, cum ab illo postulavissent primum ut etiam Cersobleptes regulus ille Odrysarum Atheniensiumque amicus[23]) pacis particeps fieret, deinde ut Philippus ea Thraciae oppida, in quibus fuerant praesidia Atheniensia,[24]) restitueret, denique ut eorum Chersonesi Thraciae possessionem agnosceret; Philippus autem harum petitionum primas duas iis praecise negavisset, de tertia verba tantum dedisset: [25]) ne tum quidem igitur nimis incensi fuisse videntur.[26]) Sed haud leviter sunt commoti, cum Philippus a. a. Ch. 344. denuo coepisset se rebus Graecorum interponere.

Erant enim in Peloponneso res valde turbatae inter Lacedaemonios, qui ad veterem principatum adspirabant, et Argivos, Megalopolitas, Messenios aliasque Peloponnesi civitates, quae ut tutae essent a Lacedaemoniorum conatibus, nuper sese ad Philippi amicitiam coniunxerant, maxime Messenii, quorum libertatem agnoscere Lacedaemonii nunquam voluerant.[27]) Philippus hanc optimam se interponendi occasionem non praetermittendam ratus, primum per legatos a Lacedaemoniis postulavit, ut Messeniorum civitatem sui iuris esse sinerent; [28]) deinde, cum illi id facere recusarent, Argos Messenemque merce-

---

consentit; at in sua explicatione orationis de corona inclinat in sententiam eorum, qui putant, expeditionem in Triballos a Demosthene commemoratam non aliam esse atque eam, quam narrat Iust. IX, 3.

22) Schaef. l. l. p. 323.

23) De hoc confer quae diximus in progr. 1861/2, p. 47 adn. 2 et p. 50; 59.

24) Cf. progr. 1860/1 p. 9; 1861/2 p. 50; 60.

25) Cf. Schaef. l. l. p. 225 seq.

26) Cf. Dem. *Phil.* II, §. 5; 27.

27) Qui tum fuerit rerum status in Peloponneso uberius narravit Schaef. l. l. p. 339 343.

28) Dem. l. l. §. 13.

narios milites et pecuniam misit pollicitus se ipsum brevi maiore cum exercitu adfuturum. [29]) His rebus valde permoti sunt Athenienses non tam quod Lacedaemoniis timerent, cum quibus nuper in gratiam redierant, [30]) quam quod quemcumque Philippi Graecorum rebus interventum perniciosum fore existimarent. Quare Demosthene rogante [31]) statuerunt legatos mittere ad Argivos Messeniosque et si quae aliae civitates erant Lacedaemoniis infensae, qui pacem inter hos et illas conciliare studerent, Philippique occulta consilia patefacerent itaque frustrarentur. Qua in legatione maxime eminuit Demosthenes; [32]) neque certe aut huius aut ceterorum legatorum culpa factum est, ut Atheniensium interpositio ad irritum caderet; sed partim diffidentia quadam, quam Atheniensium amicitia cum Lacedaemoniis apud ceteros Peloponnesios moverat, partim hoc, quod etiam in Peloponneso occulta Philippi potentia mirum quantum creverat. [33]) Quod intellectum est paulo postquam legati domum redierant: nam etsi initio verba praecipue Demosthenis Argivorum et Messeniorum approbationem moverant, [34]) mox tamen qui inter eos Philippi partibus favebant, assiduis machinationibus id effecerunt, ut cives sui bonam illam impressionem exuerent, quin etiam legatos Athenas mitterent (344 a. Ch.), qui populo exprobrarent, quod Lacedaemoniis, qui Peloponnesiorum civitates opprimere conarentur, magis faveret, quam ipsis, qui illorum principatum a se avertere vellent. Venerant tum etiam a Philippo legati, qui Argivorum Messenio-

---

29) Dem. l. l. §. 15.

30) Cf. Dem. *de pace* §. 18 et Westerm. ac Frank. ad h. l.

31) Cf. *de cor.* §. 79. Westerm. ad h. l. et Phil. III, §. 72 duas diversas Demosthenis legationes in Peloponnesum confundere videtur.

32) Fragmentum eius orationis, quam ipse habuit ad Messenios et Argivos, insertum est Phil. II, §. 20--25.

33) Schaef. l. l. p. 332. — Cf. Dem. l. l. §. 18.

34) Dem. l. l. §. 26.

rumque querelis etiam suam adiungerent, quod Athenienses regem iniuria apud ceteros Graecos accusarent, tamquam eum, qui promissa sua, quae numquam fecisset, erga eos non servasset. [35])

Ad has criminationes quid respondendum esset deliberantibus Atheniensibus, Aeschines et qui cum eo Philippi partibus favebant, omnibus viribus studuerunt illum a populi invidia liberare;[36]) quorum subdolis excusationibus ac blandimentis quominus denuo deciperetur credulum volgus impedire conati sunt adversarii Philippi, in iisque maxime Demosthenes. Is tunc orationem illam habuit, quae *in Philippum altera* inscribitur eamque ita disposuit, ut ex ipsis rebus a Philippo hactenus gestis plane demonstraret omnia eius consilia spectare ad opprimendam Atheniensium civitatem, quae sola eum impedire posset, quominus totam Graeciam in suam ditionem perduceret. Quare monet cives suos, ut tandem sibi caveant et ea verba, quae ipse legatus apud Messenios Argivosque fecerit, recordantes, provideant, ne Philippus, cum opportunitas ei adfuerit, aggrediatur paratus imparatos.

Sed quae facienda sint ad hoc periculum avertendum, postea inter se deliberaturos; iam ipsum eos docturum quid respondendum sit Philippi Peloponnesiorumque legatis. Quamquam aequius fore, si nunc producerentur ad respondendum illi ipsi, qui aut primi persuaserint Atheniensibus, ut pacem cum Philippo facerent, aut pace facta, post alteram illam legationem, quae missa fuerit ad iusiurandum a Philippo acci-

---

35) Legatos venisse tum Athenas quibus respondendum esset, apparet ex ipsis Demosthenis verbis l. l. §. 28 *ἃ δὲ νῦν ἀποκρινάμενοι τὰ δέοντ' ἂν εἴητ' ἐψηφισμένοι, ταῦτα δὴ λέξω.* Unde autem et cur venerint docet Libanius argum. in Dem. Phil. II, §. 2 seq. (Fr.)

36) Cf. Dem. l. l. §. 6; 14 seq. — Aeschinem certe non nominavit Demosthenes; sed illum obscure significari in extrema orationis parte docet Libanius l. l. extr.

piendum, populum splendidis illis promissis deceperint, quae et ipse falsa esse iam tum testatus sit et nunc Philippus per legatos suos a se facta esse neget. Horum enim omnium opera factum esse, ut iam Philippus Thermopylas possideat iamque non tam de Peloponneso agatur quam de periculo quod ipsi Atticae immineat. Ceterum se deos precari, ut timorem suum falsum reddant.

Haec est summa orationis, cui non inseruisse Demosthenem responsum illud a se propositum, sane dolendum esset, nisi et ex hac ipsa et ex aliis orationibus satis appareret, quid senserit orator de rebus Peloponnesiacis.[37]) Quare non longe a vero aberrasse videtur Schaeferus, qui[38]) putat illud responsum sic fere conceptum fuisse: „Populum Atheniensem, qui statuerit pacta retinere libertatemque omnium Graecorum tueri, iis qui inter hos bello peterentur, auxilium laturum et quemcumque externum interventum armis repulsurum.“ Ceterum ignoramus, quid decreverint Athenienses, quamquam similius veri est, eos Demosthenis rogationem accepisse. Hoc certe constat, bellum inter Lacedaemonios eorumque adversarios interim constitisse Philippique expeditionem in Peloponnesum in aliud tempus dilatam esse[39]).

Etiam hoc constat, post Demosthenis orationem in Philippum alteram populi animos magis magisque abalienatos esse a factione Macedonica, quae deinceps iteratis plagis adflicta

---

37) Cf. *de pace* §. 18 cum orr. *pro Megalop.* §. 4; *in Aristocr.* §. 102.

38) L. l. p. 337. — Confer etiam or. *pro Megal.* §. 27, quo spectare videntur verba Schaeferi; praeterea Rehdantz, qui (proll. in or. Dem. sel. p. 37 adn. 9) etiam hanc non spernendam suspicionem excitavit, ne fortasse illud lemma, quod in Dem. or. Phil. II inter §. 28 et 29 ponitur ab editoribus, in extrema orationis parte collocandum sit.

39) Schaef. l. l. p. 338. Studia in Philippum tamen non cessaverunt. Cf. Dem. *de f. leg.* 261. In Elide autem respublica popularis praecipitata est a factione Macedonica, cui Philippus mercenarios milites auxilio misisse videtur. V. Schaef. l. l. p. 340.

est; nam primum Antiphontis cuiusdam supplicium vidit, qui Philippo receperat Piraeei navalia incendere, et quamvis primo Aeschinis intercessione a Demosthenis accusatione liberatus, tamen postea iussu Areopagi denuo comprehensus erat et capite damnatus;[40]) deinde coacta est prodere Philocratem illum, qui ab Hiperide accusatus, mortis periculum nonnisi voluntario exsilio effugit.[41]) Aeschinem denique ipsum iam supra diximus non multum abfuisse, quin condemnaretur; quid quod, cum electus esset, ut apud Amphictyones Atheniensium iura defenderet contra Delios,[42]) qui a Philippo subornati cum illis de possessione Delici templi contendebant, Areopagus hanc legationem ei derogavit eamque Hiperidi commisit, idque certe, quia postquam compertum est, Delios a Philippo subornatos esse, timebatur, ne Aeschines magis Deliorum vel potius Philippi causam sustineret, quam Atheniensium.[43])

Quae omnia eiusmodi erant, ut Philippo magnam sollicitudinem afferrent. Quare is Pythonem quendam Byzantium, hominem disertum quidem, sed improbum et a se corruptum[44])

---

40) Schaef. l. l. 346.

41) Schaef. l. l. 343 seqq. Brueckner, Kön. Phil. u. die hell. St. p. 205 seqq.

42) Dissenius l. l. p. 306: „Apollinis in Delo templum Athenienses inde ex longo tempore sibi vindicabant, unde continua simultas et controversia fuit inter Delios et Athenienses, anno vero, ut videtur, Ol. 108, 3 aut paullo post (Westermann ad Dem. *de cor.* §. 134 ponit Ol. 108, 4; sed probabilior est Schaeferi computatio, qui l. l. p. 349 seq. ponit Ol. 109, 1 = 344) Delii causam ad Amphictyones detulerunt, ut ab his sibi templum tandem redderetur.“

43) Cf. Dissen. et Westerm. ll. ll.; praeterea Schaef. (l. l. p. 347 seqq.), qui ex Dem. *de f. leg.* §. 65 et Aesch. *in Ctesiph.* §. 113 seq. coniecit etiam Demosthenem in ea legatione fuisse (p. 350).

44) Ut iis assentiar, qui cum Schaefero (l. l. p. 352) opinantur, hunc Pythonem a Demosthene *de cor.* §. 136 commemoratum (cf. Hegesipp. *de Halonn.* §. 20; Aesch. *de f. leg.* §. 125) eundem esse atque illum qui *in Aristocr.* §. 119 Aeno oriundus dicitur et ab aliis Platonis et Isocratis discipulus fuisse traditur (cf. Schaef. l. l. adn. 3 et I, 138 adn. 3) faciunt maxime haec verba l. l. §. 127 *ἐπειδὴ δὲ οἴεται τὰ Φιλίππου πράγματα συμφέρειν αὐτῷ μᾶλλον, οὐδ' ὁτιοῦν ὑμῶν φροντίσας τἀκείνου φρονεῖ.*

cum aliis sociorum suorum legatis Athenas misit questum, quod Athenienses hominibus malevolis regique inimicis aurem praebentes non cessarent eum iniuriis lacessere eiusque animum ceteroquin populo Atheniensi propitium exacerbare. Si quid in pace esset quod displiceret, ne ipsam pacem reprehenderent aut violarent, verum emendandum proponerent Philippo, qui omnia quae vellent facturus esset.[45])

Ad priores illas Pythonis criminationes respondit Demosthenes adversante Aeschine, tamque apte respondit, ut ceteri legati, qui cum Pythone venerant, ipsi eius verba probarent.[46])

Quae si Westermanno assentimur, qui in hac re cum illis viris doctis non consentit, non video quomodo explicemus. Restat certe difficultas originis, quae tamen tollitur si cum Schaefero statuamus, Pythonem Aeni natum quidem, sed postea in Byzantiorum civitatem receptum esse, ex qua deinceps nominatus sit; quod ut facile fieri posset apparet ex eiusdem receptione in Atheniensium civitatem postquam Cotyn Odrysarum regem occiderat (Dem. *in Aristocr.* ll. ll. et 163). Ceterum locum illum or. *de cor.* 136 referri non posse ad Demosthenis Philippicam alteram, in qua ne verbum quidem de Pythone est, iam demonstravit Bruecknerus l. l. p. 216 seq., qui tamen in hoc errat, quod, false interpretatus *ep. Phil.* §. 18, locum illum Demosthenis refert ad disceptationes quas inter Philippum et Athenienses factas esse putat paullo ante bellum Byzantium (p. 271); et quominus eum cum Diodoro Siculo (XVI, 85) referamus ad id tempus, quo Demosthenes legatus venit ad Thebanos ante pugnam ad Chaeroneam commissam, aut cum scholiis ad Dem. *de f. leg.* 131 ad id, quo Athenas venit legatio illa Amphictyonica, de qua diximus in progr. 1861/2, p. 76, vetat locus ille Dem. *de cor.* 211 et tenor orat. *de pace*. Neque ideo negaverim Philippum etiam in aliis legationibus Pythonis opera usum esse, sed hoc mihi cum Schaefero (l. l. p. 353) persuasum habeo, legationem, de qua nunc agitur solam certam esse.

45) Exposuit haec Hegesippus in or. *de Halonn.* §. 18—23. cf. locum Dem. *de cor.* 136 iam supra allatum. Ceterum meam epitomen paene ad verbum transscripsi e Westermanni Comment. de v. Dem. p. XXIV.

46) Cf. Schaef. l. l. p. 355, Westerm. l. l. — Bruecknerus l. l. p. 218, cui assentitur Dissenius ad Dem. *de cor.* 136 (p. 308), opinatur hunc locum ex Dem. de cor. allatum parum convenire alteri illi *de Halonn.* §. 23: *καὶ ταύτους τοὺς λόγους ὑμεῖς ἀκούοντες ἀπεδέχεσθε, καὶ δίκαια ἔφατε τὸν Πύθωνα λέγειν. καὶ ἦν δίκαια.* Nam Pythonem, si Demostheni credamus, tam audacter tum Athenienses allocutum esse, ut eius verba illorum indignationem potius quam approbationem movere debuerit; praeterea de legatis sociorum Philippi a Demosthene commemoratis in oratione de Halonneso nullam

Reliqua, quae Python de pace protulerat probata sunt populo, qui mox Hegesippo rogante hanc pacis emendationem Philippo proponendam decrevit: ut utraque pars obtineret quae iure possideret, itaque Amphipolis et Holonnesus Atheniensibus ut sua redderentur; oppida, quae Philippus post factam pacem in Thracia cepisset, restituerentur; denique ut reliquae Graeciae civitates, quae paci non accessissent, liberae suique iuris essent, iisque, si bello peterentur, a pacis sociis auxilium ferretur. [47]

At statim cognitum est, quid tribuendum esset promissis Philippi. Is enim emendatam pacis formulam sibi afferentes legatos, quorum princeps lator ipse rogationis Hegesippus erat, haud benigne excepit, [48] neque ullam concessionem fecit, nisi quod dixit, Halonnesum insulam a se piratis ereptam, quamquam iniuria Athenienses ut suam repeterent, se tamen iis donaturum. [49] Ceterum cum alia tum consilia agitaret, quae Athenienses conturbare possent, si iis societatem atque amicitiam statim renunciasset, pacem non rupit remque tamquam in suspenso reliquit. [50]

---

mentionem fieri. Sed uterque vir doctus in errore versatur. Etenim dubium esse non potest, quin verba Hegesippi referantur ad speciosa illa promissa Pythonis (§. 22) *εἰ δέ τι μὴ καλῶς γέγραπται ἐν τῇ εἰρήνῃ, τοῦτ' ἐπανορθώσασθαι, ὡς ἅπαντα Φίλιππον ποιήσοντα, ὅσ' ἂν ὑμεῖς ψηφίσησθε*, quae Philippus postea in illa epistola, quae Hegesippo materiam dedit ad orationem suam de Holonneso, legatos suos unquam fecisse negavit *(de Holonn.* §. 18 cf. 21; 33); et locus Demosthenis certe spectat ad illas criminationes, quas tum Python in Philippi adversarios contulerat *(de Halonn.* §. 21 seqq.). V. Schaef. l. l. adn. 1. Is vir doctus iure refutavit (l. l. p. 353 adn. 5) etiam Boehneckii coniecturam, orationem Demosthenis contra Pythonem iccirco ad nos non pervenisse, quod ex tempore habita fuerit.

47) Heges. l. l. §. 24 seqq. cf. Dem. *de f. leg.* 181. E quibus locis apparet, illam pacis emendationem non a Demosthene, qui nihil boni a Philippo sperabat, sed ab Hegesippo propositam esse. V. Schaef. l. l. 355 seq.

48) Dem. l. l. §. 331.

49) Heges. l. l. §. 2. Cf. Westerm. ad Dem. or. *de cor.* §. 69. Comment. de v. Dem. p. XXIV adn. 137.

50) Cf. Schaef. l. l. 358. Exitum controversiae de Halonneso insula legas apud Groteum (hist. gr. ed. germ. VI, p. 359).

Ac quae fuerint ista eius consilia mox apparuit. Primum enim, ut urbem teneret Athenis vicinam et ad ingrediendum Peloponnesum opportunam, Megaram occupare conatus est. Sed res impedita est cum civium constantia tum maxime Atheniensium, ut videtur, opera. [51]). Deinde missis copiis in Euboeam insulam, in qua iam pridem haud paucos fautores sibi coemerat, Eretriae et Orei tyrannos sibi obnoxios instituit; quominusque idem faceret Chalcide portumque Geraestum occuparet, rursus prohibitus est ab Atheniensibus, qui suadente Demosthene societatem cum Chalcidensibus fecerunt.[52]) Epirum denique aggressus, ut, pulso Arybba, regnum traderet Alexandro Arybbae nepoti suoque affini, etiam Pandosiam, Buchetam, Elateam Eleorum colonias, vi captas illius regno adiunxit; [53]) quin, ut Ionici maris ora potiretur, etiam in Ambraciam, Leucadem Acarnaniamque expeditionem paravit, utque per Crisaeum sinum in Peloponnesum transire posset, societatem cum Aetolis iniit pollicitus se effecturum, ut iis urbs Naupactus, cuius possessionem iam dudum adfectaverant, ab Achaeis, qui eam tenebant, traderetur. [54])

Sed etiam tum Athenienses ei rationes conturbarunt. Qui imminens periculum cernentes, rogatu Demosthenis legatos miserunt in Peloponnesum adque Ionici maris civitates; nec ver-

---

51) Cf. Schaef. l. l. p. 342 seqq. et interprr. ad Dem. *de cor.* §. 71.

52) Schaef. l. l. p. 391 seqq. Cf. Grote l. l. p. 360. Quas foederis conditiones inierint Athenienses cum Chalcidensibus exponit more suo Aesch. in Ctes. §. 89—92, cui Bremi (ad §. 92) nimiam fidem habuisse videtur. De tyrannis a Philippo Eretriae et Orei institutis cf. Dem. or. *de reb. in Chers. act.* §. 36; Phil. III, 33; 58 ibique interprr.

53) Is Alexander, cuius sororem Olympiadem Philippus uxorem duxit, filius erat Neoptolemi fratris Arybbae, qui post Neoptolemi mortem solus Molossis imperavit, donec Philippus eum eiecit. Iust. VII, 6; VIII, 6; Heges. l. l. §. 32. Ceterum de his et de reliquis Philippi expeditionibus his temporibus factis v. Schaef. l. l. p. 397 seqq.

54) Dem. Phil. III, 27; 34 ibique Westerm.

bis modo exhortationibusque contenti, etiam copias et quidem civium in Acarnaniam miserunt, causamque Arybbae suam fecerunt. [55])

Insolitum hoc eorum studium haud levem sollicitudinem regis animo incussit, eumque adduxit, ut in suum regnum se reciperet conditionesque illas de pace emendanda, quas in suspenso reliquerat, cum Atheniensibus renovaret. Misit igitur iis per legatos epistolam, quae praeter solitas querelas de malignitate quorundam oratorum, solitasque asseverationes benevolentiae haec fere continebat: [56]) Halonnesum insulam, ut iam antea promisisset Hegesippo, Atheniensibus donaturum; ceterum se etiam paratum esse ad hanc rem arbitrio cuiuspiam civitatis, quae neutri parti faveret, permittendam. [57]) Legatis suis permisisse quidem, ut pactum de mercatura cum Atheniensibus facerent, sed eius pacti approbationem sibi excipere. [58]) Curam mare a latrociniis et praedationibus liberandi una cum Atheniensibus sibi vindicare. [59]) De illa pacis formula: „ut utraque pars obtineret quae possideret“ sic immutanda: „ut utraque pars obtineret quae iure possideret“ se nullam unquam concessionem fecisse; quare nec Amphipolim redditurum, quam urbem in pace facienda priori illa formula Athenienses ipsi ut suam ipsius agnovissent. [60]) Alteram illam de omnium Graecae civitatium libertate, quam Athenienses pacto addi vellent, probare. [61]) Ipsis Atheniensibus

55) Schaef. l. l. p. 401 seq.

56) In summa epistolae Philippi exponenda retinui cum Bruecknero (l. l. p. 219 seqq.) et Schaefero (l. l. p. 407 seq.) eum ordinem, quo illam recenset Hegesippus in oratione de Halonneso, quamquam non credo eam eodem ordine scriptam fuisse. Hoc certe etiam Schaeferus l. l. p. 406 adn. 6 iudicavit de §. 34 orationis allatae, ubi commemorantur promissa illa Philippi.

57) Heges. l. l. §. 2 seqq.

58) L. l. §. 9, ad quem l. v. Franke. Cf. et. Schaef. l. l. 408 adn. 2.

59) L. l. §. 14.

60) L. l. §. 18, ad quem locum v. Franke; praeterea §. 24; 26.

61) L. l. §. 30. Hoc loco Hegesippus argute ostendit, verba Philippi cum eius

nihil unquam promisisse et quae de hac re Hegesippus affirmaret, falsitate et calumniis plena esse. [62]) Rem de oppidis Thraciis arbitris dirimendam permissurum. [63]) Querelam Atheniensium de captivis ab ipso non redditis falsam esse: se enim omnes captivos reddidisse. [64]) Controversiam quam in Chersoneso Athenienses cum Cardianis haberent arbitris permittendam esse. [65])

Quae, quamvis fere nihil continerent, quod Atheniensibus satisfacere posset, tamen Philippi fautores ut sine cunctatione acciperet populo persuadere studebant; [66]) sed is melius putavit sententiam sequi Hegesippi et Demosthenis, qui suadebant, ut Philippi propositiones reiicerentur. [67])

Quae res fieri non potuit, quin dissidium inter Philippum et Athenienses intenderet, omnesque bellum iam iam erupturum expectarent. Cuius quidem belli causam attulit nova colonia, quam Athenienses sub Diopithe duce anno ut videtur 343 a. Ch. in Chersonesum miserant, [68]) ut hanc ultimam possessionem suam tutarentur. Paulo post enim (342) Diopithes, vir ingenio

---

factis pugnare. Armis enim nuper subegerat colonias illas Graecas, de quibus supra diximus (p. 15).

62) L. l. §. 33.

63) L. l. §. 36.

64) L. l. §. 38 et Franke ad h. l.

65) L. l. §. 39 seqq. De hac re confer infra adn. 70.

66) Haud obscure hoc significat Heges. l. l. §§. 5; 16; 45.

67) Hegesippum reiectionem illarum propositionum suasisse eumque fuisse, qui tum populi scitum fecerit, colligi potest ex extrema parte orationis ab illo habita, ubi Schaeferus (l. l. 411 adn. 1) addi iubet lemma *ΑΠΟΚΡΙΣΙΣ*. Quae tum fuerit Demosthenis sententia apparet ex Aesch. or. *in Ctes.* §. 82 seq., de cuius irrisione Demosthenis v. Westerm. *Comm. de v. Dem.* p. XXIV adn. 137. Schaef. l. l. 411 adn. 4. Ceterum orationis *de Halonneso* inscriptionem falsam eiusque auctorem Hegesippum, non Demosthenem esse iam adeo probatum est, ut de hac re verbum non addam. Sed confer, si vis, Schaeferum qui l. l. 412 seqq. omnes locos huc pertinentes attulit

68) Schaef. l. l. 421. Novam coloniam non ante a. a. C. 343 emissam esse apparet ex Dem. or. *Phil.* II (344 a. C.) et *de f. leg.* (343), in quibus nulla mentio est de novis

promptus et strenuus cum Cardianis, quorum libertatem Athenienses pace Philocratea quamvis inviti agnoverant, [69]) in contentionem venerat, quia novos advenas a suo agro prohibuerant.[70]) Quin cum Philippus, qui tum in reliqua Thracia submittenda occupatus erat,[71]) copias illis auxilio misisset,[72]) in Philippi possessiones ad Propontidem irrupit, Crobyla Tiristasique oppidis expugnatis, eorum incolas in servitutem ductis, totaque finitima regione vastata se magna cum praeda in Chersonesum recepit, priusquam Philippo potestas fieret adventandi.[73])

His rebus vehementer commotus Philippus novam misit ad Athenienses epistolam querelis et minis plenam, qua postulabat, ut in Diopithem propter audaciam suam animadverteretur; quod nisi fecissent, se vim vi repulsurum, pacemque non amplius servaturum.[74]) Atque in hac re scilicet adiutus est a

colonis in Chersonesum emissis; sed quod miror hoc est, etiam in oratione de Halonn., quae posterior est (342) ne verbum quidem esse de nova colonia a Diopithe in Chersonesum deducta. Ceterum causa novae coloniae deducendae haec fuisse videtur, quod iam eo tempore, cum Philippus primum comparuit in illis oris, — hoc autem accidit tum cum Pammenem Thebanum in Asiam proficiscentem comitatus est (353 a. C., v. progr. 1860/1 p. 9), — multi veteres coloni metu armorum illius aufugerant. V. Aesch. *de f. leg.* §. 72. Westerm. *prolegg. ad Dem. or. de reb. in Chers. act.* p. 126. Cf. Schaef. l. l. I, 400; Grote l. l. p. 206.

69) Dem. *de pace* §. 25. Cf. *de f. leg.* §. 174.

70) Cf. Liban. argum. in Dem. or. *de reb. in Chers. act.* §. 2 (Fr.). Huc spectat locus ille Hegesippi *de Hal.* §. 39 seqq., ex quo apparet controversiam, quam Philippus arbitris dirimendam permitti iusserat (v. sup. p. 17) ex eo ortam esse, quod Cardiani fines agri sui ultra quam per conventa liceret extenderant.

71) Dem. *de reb. in Chers. act.* §. 2. Speciosam renovandi in Thracia belli caussam protulit Diod. Sic. XVI, 71; praecipuam, quae haec erat, ut Philippus Graecos paulatim undique inclusos tutius aggredi posset, ostendit Dem. l. l. §. 44.

72) Dem. l. l. §. 58. Cf. Liban. l. l. §. 3.

73) Liban. l. l. Thracibus auxilio venisse Hellespontumque vastasse Diopithem etiam Demosthenes dicit l. l. §. 8 seq. De Crobyla Tiristasique oppidis cf. Schaef. l. l. II, p. 423, qui cum Brueckenro (l. l. p. 257) et Groteo (l. l. p. 361) affert *ep. Phil.* §. 3, quam epistolam, etsi ex optimis fontibus manasse videtur, tamen supposititiam esse ipse suspicatus est l. l. p. 472; III, 2, p. 110 seqq.

74) Dem. l. l. §. 16; Liban. l. l. — Schaeferus l. l. II, p. 424 adn. 1 putat ex *ep. Phil.*

factione Macedonica, quae Diopithem revocandum reumque faciendum esse clamitavit ac nullam artem inexpertam reliquit, qua populus a bello absterreretur. [75]) Sed horum perfidis conatibus occurrit Demosthenes oratione *de rebus in Chersoneso actis* (341 a. Ch.),[76]) qua non tam res a Diopithe sine ullo populi mandato gestas defendere voluit, [77]) quam demonstrare, quantopere oporteret retinere sub forti illo duce validum exercitum contra Philippum, qui certe ipse sexcenties et quidem impune eam pacem rupisset, quam tum a Diopithe violatam quereretur, neque ante quieturus esset, quam Atheniensium civitatem oppressisset, quae iam sola ambitiosa eius consilia posset disturbare. Quare eos hortatur, ut et copiis et tributo adiuvent potius quam, morem gerentes iis, qui rem publicam Philippo tradere gestiant, strenuum illum ducem puniant, qui, cum nullum a civitate subsidium accipiat, coactus sit consilium a praesenti necessitate repetere; [78]) praeterea ut legatos emittant ad omnes Graeciae civitates, qui eas de communi rerum statu edoceant atque exhortentur, et reipublicae utilitati consulant; denique ut in omnes, qui se Philippo vendiderint, animadvertant eosque oderint.

Huius orationis eventus qui fuerit ignoramus. Hoc pro certo haberi posse videtur, Diopithem imperium in Hellesponto retinuisse et pecunia aliisque rebus ad bellum necessariis adiutum esse quidem, [79]) sed parum diligenter; nam paullo post

---

§. 11 colligi posse, Philippum in ea epistola de qua nunc agitur denuo Atheniensibus proposuisse, ut ipsorum controversiam cum Cardianis arbitris dirimendam permitterent.

75) Cf. Dem. l. l. §. 1 seq.; 4; 6 extr.; 7—10; 27; 30; 34; 52; 55 seqq.; 67; 73. Liban. l. l.

76) Schaef. l. l. p. 437.

77) Cf. Dem. l. l. §. 9; 28. Ex his locis sane apparet, Diopithem sine ullo civitatis mandato egisse; sed eum non tam ex sua ipsius, quam ex colonorum auctoritate vim adhibuisse coniici potest ex Dem. l. l. §. 6 et *epist. Phil.* §. 16; de quibus locis cf. Schaef. l. l. p. 423.

78) De hac re cf. quae dicit Dem. l. l. §. 19 seqq.

79) Athenienses res a Diopithe gestas ratas fecisse apparet ex *ep. Phil.* §. 3 καὶ ταῦτα τῷ

litterae venerunt a Diopithe, quibus ille nova subsidia poscebat, ut Chersonesum tutari posset ab armis Philppi, qui in Thracia tales progressus faciebat, ut magnam sollicitudinem incuterent.[80]

His de rebus cum deliberarent Athenienses, Demosthenes habuit illam orationem, quae *in Philippum tertia* inscribitur. Quae oratio, quamquam in iisdem temporibus[81] versetur quam proxima prior de rebus in Chersoneso actis, tamen hoc ab illa differt, quod ea Demosthenes etiam maiore usus dicendi libertate acerbius invehitur in Philippum[82] vehementerque indignatus ostendit civibus suis quo sua ignavia rem publicam perduxerint perducturique sint, nisi tandem aliquando expergefacti nec amplius fautoribus Philippi aurem praebentes arma capiant et bellum anteponant illi iam non amplius ferendae conditioni, quae civitatem dedecore afficiat eique ruinam sit allatura.[83]

Quae verba etsi non traditum est, quomodo a populo accepta sint, tamen bene accepta esse ex eo facile conieceris, quod iam tota administratio rei publicae transiit ad Demosthenem

---

δήμῳ εὐδοκοῦντα ἐποίησεν. §. 16 *ὑμῶν δὲ τοιαῦτα ψηφιζομένων.* (In hoc loco Rehdantz v. *τοιαῦτα,* quod deest in codd. Paris. *ε, η,* Vindob. 4, uncis inclusit, quia putat verba *ὑμῶν—ψηφιζομένων* ad ea quae sequuntur pertinere; sed ipse concedit ea verba coniungi posse cum praecedentibus *τῶν μὲν κληρούχων κατὰ τό Πολυκράτους δόγμα πολεμούντων ἡμῖν,* quod fecisse videtur Schaef. l. l. 466 et ego quoque faciendum esse arbitror). Praeterea ex Dem. *Phil.* III, §. 19 seq.; 73 sequitur nec amplius agi de Diopithe puniendo, nec ei prorsus nulla subsidia missa esse.

80) Aliquam petitionem Chersonsitarum interim pervenisse Athenas apparet ex Dem. l.l. §. 73 *τοῖς μὲν ἐν Χερρονήσῳ χρήματ' ἀποστέλλειν φημὶ δεῖν καὶ τἄλλ' ὅσ' ἀξιοῦσι ποιεῖν.* Res autem etiam tum valde dubias fuisse ostendit tota Philippica tertia de qua dicturi sumus.

81) Cf. Schaef. l. l. p. 437.

82) §. 15—35, praecipue 31 *ἀλλ' οὐχ ὑπὲρ Φιλίππου καὶ ὧν ἐκεῖνος πράττει νῦν, οὐχ οὕτως ἔχουσιν, οὐ μόνον οὐχ Ἕλληνος ὄντος οὐδὲ προσήκοντος οὐδὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλ' οὐδὲ βαρβάρου ἐντεῦθεν ὅθεν καλὸν εἰπεῖν, ἀλλ' ὀλέθρου Μακεδόνος, ὅθεν οὐδ' ἀνδράποδον σπουδαῖον οὐδὲν ἦν πρότερον.*

83) Cf. §. 1 seq.; 8—10; 28 seq.; 47; 51; 53—55; 65; 70 seq.; 75. Ex § 71 apparet legatos, quos Demosthenes in or. *de reb. in Chers. act.* §. 76 emitti iusserat, nondum emissos fuisse.

eosque qui cum eo sentiebant[84]) et Athenienses, quamquam nondum pacem renuntiarunt Philippo, tamen eas res gesserunt, quae praenuntiae essent belli iam iam erupturi. Nam paullo postquam Demosthenes habuerat Philippicam tertiam, expeditionem in Euboeam fecerunt, qua illam insulam a potentia Macedonica liberarunt eamque in societatem contra Philippum adduxerunt.[85]) Atque hoc quoque factum est Demosthenis auctoritate,[86]) qui propterea Aristonico rogante, a populo aurea corona donatus est.[87])

Interea Philippus Thracia subacta in Hellespontum processerat, ut tota hac quoque regione sub imperium suum redacta transitum in Asiam et navigationem in Pontum occuparet. Quod si ei contigisset haud leve damnum accepissent Athenienses, qui per eam oram prope totam suam rem frumentariam percipiebant.[88]) Sed peropportune acciderat, quod Byzantii iam Philippo diffidentes auxilia, quae ab iis postulaverat ille, negaverant.[89]) Quam ob rem Demosthenes civibus suis persuasit, ut illatarum sibi a Byzantiis iniuriarum recordatione deposita, foedus cum illis facerent foederisque conditiones legatus ipse Byzantiis attulit.[90]) Per id tempus aliae legationes et ipsae

---

84) Schaef. l. l. p. 449.

85) Schaef. l. l. p. 458; 463. De eo quod dicit Aeschines (*in Ctesiph.* §. 85—105), societatem cum Euboeis Calliae et Demosthenis dolis peractam, et hunc ab illo corruptum fuisse v. eundem l. l. p. 393 seq.; 457 seqq. Cf. etiam quae diximus supra p. 15. Ceterum ad haec tempora pertinere videtur supplicium illud Anaxini Oritae Philippi exploratoris, de quo mentio est apud Aesch. *in Ctes.* §. 224. Cf. de hac re Bremi ad h. l. et Dissen. et Westerm. ad Dem. or. *de cor.* §. 137; praeterea Schaef. l. l. p. 461 seq.

86) Dem. *de cor.* 79; 84.

87) Dem. l. l. 83; cf. Schaef. l. l. p. 464.

88) Cf. Dem. *adv. Lept.* §. 31, et Westerm. ad h. l.

89) Dem. *de cor.* §. 87. Quo tempore Byzantii et Perinthii societatem inierint cum Philippo diximus in progr. 1860/1 p. 11.

90) Dem. l. l. §. 80; 244; 302. Cf. Aesch. *in Ctesiph.* §. 256.

rogatu Demosthenis in Peloponnesum, Rhodum, Chium, denique ad ipsum Persarum regem emissae sunt; quarum haec quidem irrita fuit, sed ceterae id effecerunt, ut Megarenses, Corinthii, Achaei, Acarnanes, Leucadii, Ambracienses, Corcyraei se ad propulsandos Macedones cum Atheniensibus coniungerent.[91)]

Nec modo foris, sed etiam domi Demosthenes auxilia comparavit; nam duas alias rogationes pertulit, quibus factum est, ut res cum militaris omnis, tum praecipue navalis, quae utraque tum multis vitiis laborabant, melius constituerentur. His enim temporibus tandem Demosthenes assecutus est quod iam quattuordecim annis ante fieri volebat,[92)] primum, ut ratio symmoriarum, ita immutaretur, ut onera aequius distribuerentur inter cives,[93)] deinde ut *theorica* quae vocabant in belli usum restituerentur.[94)] Certe Demosthenes efficere non potuit, ut pravae consuetudines prorsus tollerentur,[95)] sed ei iam hoc laudi tribuendum est, quod quantum potuit inveterato malo mederi studuerit.

Sed ad Philippum revertamur. Is enim repulsa illa a Byzantiis accepta, primum Perinthum, urbem Byzantiorum sociam, omnibus viribus oppugnavit,[96)] deinde, cum propter et

---

91) Schaef. l. l. p. 450—458. Legationes ad Pelopponesios et Ionici maris civitates Demosthenes ipse suscepit. V. Aesch. l. l. §. 97. Cf. Dem. l. l. 237 et 79. De societate cum Euboeis inita iam supra diximus p. 21.

92) Cf. progr. 1860/1 p. 22.

93) Narrat hoc Demosthenes ipse l. l. §. 102—108, ubi v. Westerm. Cf. etiam Schaef. l. l. p. 490 seqq.

94) De his v. quae diximus in progr. 1860/1, p. 27 et confer Schaef. l. l. p. 495 seq.

95) Cf. Schaef. l. l. 493; 495, a quo affertur locus ille Aeschinis *in Ctes.* §. 222, qui opera sua factum esse gloriatur, et quam impudenter coniicies ex Dem. l. l. §. 312, ut postea lex trierarchica Demosthenis emendaretur. Hoc autem non esse factum ante finitum cum Philippo bellum apparet ex Dem. l. l. §. 107.

96) Hanc oppugnationem narrat Diod. Sic. XVI, 74—76, idque sub Ol. 109, 4 quidem, sed Schaef. l. l. 463 adn. 1, et 469 adn. 1 demonstravit hanc temporum computationem falsam esse et omnia facta quae Diodorus illo anno comprehendat, referenda esse ad Ol. 110, 1=340 a. C.

ipsorum Perinthiorum fortitudinem et auxilia quae illi a Byzantiis satrapisque Asiae minoris [97]) accipiebant, obsidionem protrahi videret, exercitum divisit et dimidio ad Perinthum relicto cum ceteris aggressus est Byzantium.

His rebus permoti Athenienses et maxime hoc quod Philippus in illa expeditione non modo, ut classem suam protegeret, fines eorum in Chersoneso violaverat, [98]) sed etiam multas et ipsorum et eorum sociorum naves mercatorias interceperat; [99]) verbis ut videtur satis minacibus a rege postulaverunt, ut non amplius pacem cum iis factam violaret, nec modo eis redderet quae ipsorum essent, sed etiam Terem et Cersobleptem regno spoliatos restitueret. [100]) His Philippus per epistolam respondit, qua non modo ea quae Athenienses postularent, se facturum negavit, sed ultro eos pacis violatae accusavit conditionesque de continuanda pace tales proposuit, quae prorsus contrariae essent populi Atheniensis dignitati. [101]) Qua de causa Athenienses, omni patientia abrupta, Demosthene auctore [102]) tandem

97) Diod. l. l. 75.

98) Schaef. l. l. p. 467; Grote l. l. p. 364.

99) Schaef. l. l. p. 471 seq. — Chiis, Rhodiis aliisque maritimis civitatibus postea naves captas restituit Philippus, ut eos ab Atheniensium societate abalienaret eorumque opera in gratiam rediro posset cum Byzantiis; qua in re tamen nihil aliud assecutus est, nisi ut Chii Rhodiique post eius reditu a Byzantio se bello abstinuerunt. Atque hoc fuisse videtur, quod Diodorum Siculum in eum errorem induxit, ut crederet (XVI, 77) tum pacem reconciliatam esse inter Philippum et omnes Graecos. De qua re cf. Schaef. l. l. p. 483 adn. 2.

100) Cf. *ep. Phil.* 8. Varie disceptatum esse inter Philippum et Athenienses, antequam hi illi bellum denuntiarunt, apparet etiam ex §. 16.

101) Sic coniecit Schaef. l. l. p. 472. De *epistola Philippi*, quam legimus inter Demosthenis opera cf. quae supra diximus p. 18 adn. 73. Orationem, quae *πρὸς τὴν ἐπιστολὴν τὴν Φιλίππου* inscribitur, opus male factum alicuius rhetoris esse, iam post quae de ea dixit Schaef. l. l. III, 2, 105—110 pro certo haberi potest.

102) Cf. Aesch. l. l. §. 55 et locum illum ex Dion. Hal. ep. ad Amm. I, 11 a Schaefero (l. l. II, p. 472 adn. 7) allatum. Groteo hi loci pugnare videntur cum Dem. l. l. §. 73 seq.; sed Demosthenes nonnisi hoc dicit, non se, sed Philippi iniurias causam rumpendae pacis fuisse, et §. 80 verbis satis claris ostendit se ipsum auctorem fuisse illius expe-

Philippo bellum denuntiarunt statimque Charetem et paullo post Phocionem cum singulis classibus Byzantiis auxilio miserunt, quae utraque una cum auxiliis, quae et aliae civitates miserant, haud parum ad hoc contulerunt, ut Philippus in maximas angustias adductus longaque obsidionis mora exhaustus incepto destiterit.[103])

Neque ideo Philippus de rebus Graecis cogitare cessavit; imo nunquam eas conficiendi opportunitatem intentius expectavit. Hanc statim post eius reditum in Macedoniam[104]) attulerunt ii, qui Athenis eius negotia procurabant. Nam ad conventum vere 339 a. C.[105]) Delphis habitum Athenienses praeter alios etiam Aeschinem ut pylagoram miserant.[106]) Is Locros Amphissenses, qui, ut ipse ait, Athenienses tamquam impios e concilio Amphictyonum excludi volebant, ultro sacrilegii insimulavit, quod agrum Cirrhaeum Apollini Delphico dedicatum contra ius fasque coluissent, longaque illa ac sollemni oratione, quam tum habuit, hieromnemones ita concitavit, ut statim omnem iuventutem Delphicam convocarent eamque iuberent postero mane ipsis et pylagoris praesto esse ad vastandum illum

ditionis Byzantiis auxilio contra Philippum missae. De decretis autem, quae §. 75 commemorantur, nullum iudicium ferre possumus, cum testimonia illa, quae §. 73-75 leguntur supposititia esse satis constet.

103) Diod. Sic. l. l. Plut. *Phoc.* 14, 2 seq. Exaggerata esse ea, quae Plutarchus narrat de Charete et de indignatione Atheniensium, quia Byzantii eum in urbem suam recipere noluerint, docuit Schaef. l. l. p. 476, seq.; 480. — De auxilio lato Byzantii et Chersonesitae postea publicas gratias egerunt populo Atheniensi eumque aureis coronis donaverunt. Cf. Dem. l. l. §. 89; 92.

104) A Byzantio Philippus non continuo domum se recepit, sed profectus est ad novam expeditionem in Scythiam, quam narrat Just. IX, 2 seq. — De probabili causa, tempore exituque huius expeditionis cf. Schaef. l. l. p. 484 seqq.

105) Schaef. l. l 498; 508 seqq. — De iis quae narraturus sum cf. Aeschin. l. l. §. 106—129; Dem. §. 140—158; praeterea Schaef. l. l. 498 seq. Grote l. l. 374 seqq. - Electionem Aeschinis Demosthenes l. l. §. 149 fraude factam fuisse affirmat; defendunt eam Wolf ad Dem. or. *adv. Lept.* §. 3 (cf. Dissen. ad Dem. l. l.), Grote l. l. p. 375. — De pylagoris et hieromnemonibus v Westerm. ad Dem. l. l. §. 148.

106) Aesch. l. l. §. 116 seqq. Cf. quae ad haec respondit Dem. l. l. §. 150.

agrum ab Amphissensibus occupatum. Quod cum factum esset, Amphissenses, quorum urbs non multum inde distabat,[107]) accurrerunt vastatoresque partim ceperunt partim in fugam verterunt. Quam ob rem Amphictyones, concilio postero die a Cottypho praeside convocato, edixerunt, ut ante proximum conventum extra ordinem hieromnemones Pylas convenirent ad deliberandum de poena Amphissensibus irroganda.

Quod cum nuntiatum esset Athenas, Demosthenes, qui statim perspexit quorsum haec spectarent, populo persuasit, ne suum hieromnemonem Pylas mitterent.[108]) Etiam Thebani, qui et ipsi fortasse, quia iam pridem se a Philippo abalienaverant,[109]) aliquid doli subesse suspicabantur, suum mittere noluerunt.[110]) Sed reliqui Amphictyones absentiam Atheniensium et Thebanorum nihil curantes, simulac convenerunt multam Amphissensibus irrogarunt; quam cum hi recusassent, vimque vi reppulissent, in proximo conventu autumnali Philippo punitionem contumacium Amphissensium commiserunt.

Atque hoc fuit, quod ille ardenter concupiverat, eiusque amici callide praeparaverant, scilicet ut tamquam ultor laesi numinis ab ipsis Graecis vocatus per speciem potestatis sibi collatae ipsam mediam Graeciam armata cum manu aggredi posset. Itaque quamvis hiems immineret (339), [111]) tamen rem noluit differre in proximam aestatem et coacto magno exercitu Phocidem invasit, pulsisque Amphissensium copiis [112]) atque eorum urbe deleta[113]) Elateam occupavit. [114])

---

107) Cf. Schaef. l. l. p. 500 adn. 3.
108) Aesch. l. l §. 125—127 Cf. Dem. l. l. §. 143 150 et Westerm. ad hh. ll.
109) Cf. Schaef. l. l. p. 504. Erant praeterea Thebani cum Amphissensibus societate coniuncti. Cf. Aesch. l. l. §. 116.
110) Cf. Aesch. l. l. 128 et Bremium ad h. l.; praeterea Westerm. ad Demosth l. l. §. 150.
111) Schaef. l. l. p. 513.
112) In his fuerunt etiam decem milia, quae Athenienses Demosthenis intercessione Amphissensibus cesserunt. Cf. Aesch. l. l. §. 146.
113) Schaef. l. l. p. 515.
114) Quo potissimum consilio id fecerit, dicit Demosthenes l. l. §. 174 seq. Ceterum tra-

Quod ut auditum est Athenis, vix credi potest, quanta hic trepidatio omnium animos incesserit. 115) Sed etiam tunc sollertia Demosthenis perspexit solam viam ad salutem, quae in tanto discrimine rerum restaret. Iam enim omnis spes in Thebanis reposita erat, qui, quamquam a Philippo flagitarentur, ut secum facerent contra Athenienses, tamen illi adeo diffidebant, ut dubitari non posset, quin si Athenienses iis reconciliationem obtulissent, libenter se cum his contra illum coniuncturi essent. Quae cum Demosthenes accurate exposuisset in concione, persuasit populo, ut omni simultate cum Thebanis deposita hanc optimam opportunitatem arriperet legatosque ad illos mitteret, qui iis societatam ac foedus offerrent, 116) missusque ad hoc ipse cum aliis Thebas, quo etiam Philippi eiusque sociorum legati venerant, 117) id effecit sua eloquentia, ut Thebani, quos legati illi contra Athenienses excitare conabantur, omnem dubitationem relinquerent missoque Philippo se ad Atheniensium societatem applicarent. 118)

Sed paulum abfuit, quin tanta res a Demosthene tam fe-

---

dunt Philippum in ea expeditione etiam oppidum Naupactum cepisse Aetolisque, ut promiserat, tradidisse Cf. supra. p. 15.

115) V. Dem. l. l. §. 168 seqq.

116) Dem. l. l. §. 179; cf. 153. Novem fere annis post Aeschines (l. l. §. 140 seqq.) qua erat impudentia ausus est affirmare Thebanos ipsos statim post occupatam a Philippo Elateam ab Atheniensibus auxilium petivisse, et illo foedere Demosthenis opera facto maiestatem populi Atheniensis imminutam, potentiam Thebanorum autem auctam esse. Quarum calumniarum primam refutat Dem. l. l. §. 214 testimonio illo publico allato, alteram l. l. §. 238—243. Cf. et. Schaef. l. l. p. 523 seq.

117) Dem l. l. §. 211; Plut. v. Dem. 18, 1 seq. Cf. Schaef. l. l. p. 520.

118) Dem. l.l. §.213 seq.; Plut. l.l. 18, 3 seq. De reliquis civitatibus, quae Demosthenis opera iam antea cum Atheniensibus contra Philippum se coniunxerant v. sup. p. 22. Quamquam incertum est, utrum omnes ad Chaeroneam pugnaverint necne. Cf. Schaef. l.l. p. 531 cum Groteo l. l. p. 397. — Arcades, Messenii, Elei tum hanc saltem pietatem in conterraneos suos ostenderunt, ut, quamvis socii essent Philippi, tamen bello abstinerent. Idem fecerunt Lacedaemonii, qui tum in Italia occupati erant. V. Schaef. l. l. p. 525.

liciter peracta ad irritum caderet; nam subito nescio quae portenta et tristes vaticinationes adeo omnium animos perculerant, ut ardor ille bellicus a Demosthene excitatus iam restingui videretur. [119])

Quem animorum statum in suam rem convertens Philippus, non quo eum rei inceptae poeniteret, sed ut spatium haberet ad eam perficiendam, per praeconem petiit a Thebanis et ab Atheniensibus, ut eorum fide interposita, sibi liceret legatos mittere ad eos de pace reconcilianda; sed quominus id quod volebat consequeretur eum impedivit Demosthenes primum domi, deinde Thebis, quo iterum profectus nutantes iam Thebanorum animos ita confirmavit, ut alacrius quam antea bellum pararent, [120]) adeoque fiderent Atheniensibus, ut horum exercitum, quod rarissime apud veteres fiebat, in urbem domosque suas fraterne reciperent. [121])

Cum autem ventum esset ad arma, fortuna primo visa est arridere Graecis, qui duobus proeliis in illis saltibus factis, qui e Phocide in Boeotiam ducunt, victores evaserunt. [122]) Qua re audita facile cogitari potest quanta laetitia affecti sint Thebis et Athenis adversarii Philippi. Undique victoribus gratulationes fiebant et ipsi domi gratias diis agebant hostiis solemnibusque pompis. [123]) Athenis autem Demosthenes pro magnis suis in patriam meritis Demomele atque Hyperide auctoribus bis aurea corona donatus est, frustra Dionda ex Macedonica

---

119) Plut. l. l. 19; cf. Aesch. l. l. 130; 152.

120) Cf. Aesch. l. l. §. 148 seqq.; Plut. v. Dem. 20, 1 seq. cf. 18, 3. In his, qui bellum dissuadebant, etiam Phocion fuit (Plut. v. Phoc. 16, 1 seq.).

121) Dem. l. l §. 215 ibique Dissen. et Westerm.

122) Dem. l. l. §. 216 ibique Westerm. Cf. et. Schaef. l. l. 528 adn. 1. — Philippus illis proeliis in summas angustias adductus fuisse videtur, nam iterum atque iterum per epistolas a sociis suis in Peloponneso auxilia flagitavit V. Dem. l. l. §. 218.

123) Dem. l. l. §. 217.

factione Hyperidi adversante.[124]) Sed praeproperum fuisse illud gaudium postea apparuit. Nam Philippus, qui interea exercitum suum novis subsidiis firmaverat, bellico dolo usus effecit, ut Thebani opportunum quem tenebant locum relinquerent ipsique viam aperirent ad planitiem ante Chaeroneam oppidum patentem, quae ei peropportuna erat ad suos ordines explicandos.[125]) Haec res non minus quam imperitia[126]) ducum Atheniensium maximum momentum habuisse videtur in insigni illa pugna die mensis metagitnionis septimo a. Ol. 110, 3 (= cal. sept. 138)[127]) ad Chaeroneam commissa, quae finem imposuit Graecorum libertati.

Atheniensium plus mille eo die caesi ac duo fere milia capti sunt, nec minorem cladem eorum socii accepisse videntur. Reliqui in fugam se coniecerunt.[128]) In his etiam Demosthenes fuit, cui eius adversarii non cessarunt continuo illam humanam infirmitatem obiicere,[129]) quippe qui, ut ipsi aiebant, causa praecipua fuisset omnium malorum, quae civitatem afflixissent. Sed tantum abfuit ut populus propterea Demostheni succenseret, ut ei etiam honorificum negotium demandaret memoriam eorum, qui ad Chaeroneam cecidissent, usitata oratione celebrandi,[130]) suaque fiducia eius facto demonstraret, se vere haec sensisse, quae ille octo annis post adversario suo Aeschini respon-

124) Dem. l. l. § 222. Aeschines per eos dies satis modeste se ferebat et in concione adiuravit, sibi nihil cum Philippo esse. Cf. Dem. l. l. §. 217; 238. Ceterum quibus festis diebus probabile videatur Demosthenem coronis illis donatum esse computavit Schaeferus l. l. p. 528.

125) Schaef. l. l. p. 529.

126) Diod. Sic. XVI, 85 extr. Cf. Dem. l. l. §. 303; praeterea Schaef. l. l. p. 532 adn. 1.

127) Diod. Sic. l. l. 84; 86. Plut. v. Cam. 19, 5. Cf. Schaef. l. l. p. 530 adn. 1.

128) Diod. Sic. l. l. 86.

129) Plut. v. Dem. 20, 2; Aesch. l. l. §. 152; 159 (cf. Bremi ad h. l.) all.

130) Dem. l. l. §. 249 (cf. 247); 285 seqq. Plut. l. l. 21.

dit:[131]) *εἰ γάρ*, inquit, *ἦν ἅπασι πρόδηλα τὰ μέλλοντα γενήσεσθαι, καὶ προῄδεσαν πάντες, καὶ σὺ προὔλεγες, Αἰσχίνη, καὶ διεμαρτύρου βοῶν καὶ κεκραγώς, ὃς οὐδ' ἐφθέγξω, οὐδ' οὕτως ἀποστατέον τῇ πόλει τούτων ἦν, εἴπερ ἢ δόξης ἢ προγόνων ἢ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος εἶχε λόγον κ. τ. λ.*

Sane posthac tempora fuerunt, quibus Demosthenis auctoritas paullum obscurata est; sed hoc merito an iniuria factum esse videatur in extrema huius disputationis parte, si Deo placuerit, dicemus. V. Contin. p. 737

---

131) Dem. l. l. §. 199.
